



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||**

**Lensaeus, Johannes**

**Antverpiae, 1590**

Pwooemivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](#)

DE  
CHRISTIANA  
LIBERTATE  
LIBER TERTIVS.

PRO O E M I V M .



**V**NDE accedit iis qui longa posteritatis serie, à progenitoribus suis seruitutis iugum trahunt, ut cùm suæ conditionis pondere grauiter premantur, facilius tamen eam molestiam sentiant pressisque & afflicti gemant, quām cū ea conditione viuāt, reddere sibi possint rationem; id ipsum euēnit hominum generi, vt quamuis grauen molestamque sibi experiretur esse vitæ sortem, tamet sub eius falso lamentari & queri posset, veram autem sui status rationem perspectam nō haberet. Non enim intelligebat seruitutis se iugum à primis suis progenitoribus trahere: vnde fieret vt propriæ corruptionis improbo duroque dominio succumbere cogeretur.

C A P V T . I.

*Quandam seruitutem & captiuitatem esse sub regno corruptionis & mortis.*

**N**AM cū vtraque sui parte homo venerit in seruitutem, nec possit liberum habere corpus, animo cui gubernacula competebant, indignissimæ seruituti mācipato: tertia quoque seruitus agnoscenda est corruptionis & mortis. De qua in epistola ad Romanos loquitur Apostolus, cùm ait: Vanitati creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe. Quia & ipsa crea-

Rom. 8.